

neo; mirada de fuego y penetrante; tono de voz agradable y muy alto cuanto se acaloraba; aire fiero, intrépido y orgulloso, que sabía dulcificar siempre que quería, para tomar otro humilde, modesto, manso, si bien esto le sucedía pocas veces.... Tal es el verdadero carácter de Martín Lutero, en quien puede decirse que hubo una gran mezcla de algunas buenas y de muchas malas cualidades, siendo mayor el desarreglo de su entendimiento que el de sus costumbres y vida.»

Pudiera creerse que Bossuet le aduló: « Los dos partidos de la Reforma, dice, le reconocieron igualmente por autor. Los Luteranos, sus sectarios, no fueron los únicos que le prodigaron alabanzas: el mismo Calvino admira á menudo sus virtudes, su magnanimidad, su constancia, la industria incomparable que mostró contra el papa; es la trompeta, ó mas bien el trueno; es el rayo que hizo salir al mundo de su adormecimiento: no era Lutero quien hablaba, sino Dios, el cual fulminaba por boca del reformador. No cabe duda de que había fuerza en su ingenio, vehemencia en sus discursos; estaba dotado de una elocuencia viva é impetuosa que arrastraba á los pueblos; mostró extraordinario ardimiento cuando se vió sostenido y aplaudido, con un aire de autoridad que hacía temblar en su presencia á sus discípulos, de suerte que no osaban contradecirle en las cosas grandes ni en las pequeñas. No fué solo el pueblo quien tuvo á Lutero por profeta; pues como tal le representaban tambien los hombres doctos de su partido. Melancton, que se sometió á su disciplina desde que empezaron las disputas, se dejó persuadir en un principio de que en él había algo de extraordinario y profético, hasta el punto de costarle mucho volver de su error, no obstante los defectos que diariamente descubría en su maestro; y escribió á Erasmo, hablando de Lutero: *Sabed que es preciso probar á los profetas, no despreciarlos.*»

« Sin embargo, el nuevo profeta se entregaba á excesos inauditos: exageraba todo, y porque los profetas, de orden de Dios, lanzaban terribles invectivas, se convirtió en el mas violento de los hombres y el mas fecundo en palabras injuriosas. Lutero hablaba de sí propio en unos términos que hacían avergonzarse á sus amigos. Envanecido con su ciencia, mediana en el fondo, pero grande para su época, y demasiado grande para su salvacion y para el bien de la Iglesia, se colocaba por encima de todos los hombres, no solo de su siglo, sino de los mas ilustres et immodicus usus retineatur; alterius vero, cujus opus est prudens rerum discursus et discretio, jam ipsa rubigine exese, revocetur: in quibus quum per summam licentiam utrimque peccatum est, omni studio laborandum est, ut utriusque actus quoad poterit melius exerceatur. Id vero factu admodum facile fuerit, si adhibitis in consultationem viris probitate, doctrina et integritate claris, nec non Romanæ curiæ gnaris, illud primum decretum fuerit, quæ nulli, quæ passim, quæ non nisi prærogativa aliqua et insigni dote claris concedenda fuerint, quæve omnino rejicienda. Est enim, quamquam ea sit alterius potestas clavium ut omnia possit, non ex æquo tamen omnia omnibus permittenda sunt, discretionis et maturæ considerationis clave reclamante. Eumque pontificis summi opus in hæc duo maxime absumatur, ut justis supplicantium libellis subscribat, et gratiosis petitionibus annuat; quæ justitiæ auxilium et remedium postulant, nec contrahenda et nec ultra fas laxanda ullo pacto censetur, propterea quod legibus et decretis sibi cautum est. Quæ vero ad ecclesiasticæ potestatis gratiam confugiunt, quum multas patiuntur difficultates, ideo regulis et terminis quibusdam præfinita et circumscribenda sunt, quod feliciter et commode satis attingi poterit, si primorum, mediorum et postremorum temporum conditiones scrutati, quoque pontificum cura et diligentia pleraque ad hanc rem tentata fuisse, quæ vel temporum

« Voltaire, el patriarca de la incredulidad, trató á Lutero ménos favorablemente que el jesuita Maimbourg y el obispo de Meaux. « No es posible (dice) sin sonreirse de lástima, leer el modo como Lutero trata á todos sus adversarios, y principalmente al papa. » Papita, papilla, sois un borrico, un borriquito: andad poco á poco, que está helando, y os vais á romper una pierna. La gente diría entonces: ¿Qué es esto? El borriquito del papita se ha estropeado. Un asno sabe que es asno; una piedra sabe

que es piedra; pero estos horriquillos de papas no saben que son borricos. » Estas burlas de Voltaire son justas, pero no prueban nada. »

CHATEAUBRIAND, *Essai sur la littérature anglaise.*

(N) pág. 233.

PROYECTOS DE REFORMA CATÓLICA.

En la Biblioteca de Munich existe manuscrita una memoria del cardenal Egidio de Viterbo, ermitaño de San Agustin, dirigida al papa Adriano VI, sobre la depravacion de la Iglesia y el modo de reformarla. Habia pertenecido primero á Erasmo de Rotterdam y luego á Glareano. Omitamos el preámbulo y trascribamos lo demas:

« Pontificiam potestatem vel ex illo apud christianos sacrosanctam usque fuisse omnes autumant, quoniam divini eam fuisse instituti compertum habemus. Quandoquidem Servator noster Christus ad Patrem migraturus, ejus vices Petro demandans, clavium potestatem ei tribuit, quarum symbolo illud sibi concedi videbatur, ut reserandi et claudendi, dimittendi et retinendi jus sibi soli et successoribus ejus competere. Quod sane munus quoad caste et integre per viros Dei summosque pontifices actum est, ecclesiasticæ dignitatis jura omnia feliciter adeo cesserunt, ut parvis et exiguis auspiciis, Christo tamen Redemptore nostro instituyente, orta, in amplissimam majestatem elata sint, utroque quoque tam dimittendi quam retinendi officio rite et per summam pietatem exercito. At ubi vel dimittenda retineri vel retinenda dimitti in hominum magis quam Dei gloriam cepta sunt, deficiente operantium fide et integritate, maxima quoque tum dignitas tum auctoritas imminui cœpit; quod cum crescentibus temporibus etiam inualescat, illud dubio procul nisi occurratur demum efficiet, ut passim ab omnibus nihili habeatur. Quapropter, ut unde prima mali labes originem traxit, inde quocumque auxilium sumatur, ipsarum clavium potestatem primo restituendam, et quæ per eorum abusum irrepserunt, corrigenda et obliteranda censerem.

Qua in re illud primum consideratione dignum videtur, ut alterius clavium, cujus absoluta est potestas, licentiosus nimis et immodicus usus retineatur; alterius vero, cujus opus est prudens rerum discursus et discretio, jam ipsa rubigine exese, revocetur: in quibus quum per summam licentiam utrimque peccatum est, omni studio laborandum est, ut utriusque actus quoad poterit melius exerceatur. Id vero factu admodum facile fuerit, si adhibitis in consultationem viris probitate, doctrina et integritate claris, nec non Romanæ curiæ gnaris, illud primum decretum fuerit, quæ nulli, quæ passim, quæ non nisi prærogativa aliqua et insigni dote claris concedenda fuerint, quæve omnino rejicienda. Est enim, quamquam ea sit alterius potestas clavium ut omnia possit, non ex æquo tamen omnia omnibus permittenda sunt, discretionis et maturæ considerationis clave reclamante. Eumque pontificis summi opus in hæc duo maxime absumatur, ut justis supplicantium libellis subscribat, et gratiosis petitionibus annuat; quæ justitiæ auxilium et remedium postulant, nec contrahenda et nec ultra fas laxanda ullo pacto censetur, propterea quod legibus et decretis sibi cautum est. Quæ vero ad ecclesiasticæ potestatis gratiam confugiunt, quum multas patiuntur difficultates, ideo regulis et terminis quibusdam præfinita et circumscribenda sunt, quod feliciter et commode satis attingi poterit, si primorum, mediorum et postremorum temporum conditiones scrutati, quoque pontificum cura et diligentia pleraque ad hanc rem tentata fuisse, quæ vel temporum

maligntate vel corruptela minime perfici potuerunt. Videbatur porro ad hujus rei effectonem vel id maximum momentum habiturum, non solum quæ recte constituta fuerint ut inviolabiliter serventur cavere, sed etiam quæ proximis et recentioribus temporibus... sunt, quoad fieri poterit corrigere, et ad honestiorem formam redigere, atque illa præsertim quæ per summam impudentiam efflagitata, contra pontificiæ auctoritatis dignitatem verius extorta quam impetrata videri possunt. Hujusmodi sunt beneficiorum accessus, atque ii maxime, qui absque possidentis et domini consensu fiunt. Cujus quidem rei abusus quid aliud quæso est, quam alienæ vitæ insidiatorem occultum efficere, a quo difficillime quisque præcavere possit? Quomodo enim ab his, qui vitæ nostræ inhiant, tuti erimus, quos nec de facie novimus, nec in nostrum caput ab Ecclesiæ præside sibi quidquam indultum intelligimus? Quæ res etsi semper suspecta et periculi plena fuit, nostra tamen ætate, qua avaritia et ambitio passim grassantur, perniciosas habetur. Quod eo magis omni studio cavendum fuerit, quo diligentius per sacras sanctiones nec non jurisconsultorum omnium sententia futuræ successiois expectatio detestatur.

Necessarium præterea foret, beneficiorum quas dicunt uniones, nisi secundum juris dispositionem, prorsus prohibere atque antiquare; nec eas solum, quæ effectum adhuc sortitæ non sunt, quod et aliis quoque pontificibus ab assumptione sua peculiare est; verum et eas quoque, quæ ad effectum sum deductæ sunt, nec in earum numero sint, de quibus jura expresse loquuntur. Cujus quidem abusus origo duas videtur habuisse causas. Quarum altera fuit monachorum immoderata ambitio, qui eorum monasteriis et mensis in omnibus christianæ ditionis regionibus unitas habent infinitas pene parochiales ecclesias: hinc illud commodi potissimum trahentes, quod pinguioribus et lautioribus mensis fruuntur. Unaquoque parochialium interim neglecta, atque uni tantum monacho aut sacerdoti, eoque ad nutum amovibili vix commissa; cui etiam parce adeo et sobrie pro victu suo providetur, quod sæpius aliunde cogatur turpiter et contra disciplinam et mores ecclesiasticos stipem in necessariis usus querere. Altera presbyterorum inordinata tum avaritia tum ambitio, quibus cum non sit satis quod ad tria et quatuor incompatibilia dispensentur, sæpius nulla existente rationabili causa, plura etiam incompatibilia beneficia beneficiis ununt; ex quo illud primum absurdissime consequitur, ut capellas, præbendas, prioratus, canonicatus et hujusmodi non parum multa incompatibilia unus obtineat, adeo ut nec ipse numerum facile promptum habeat, atque in colligendis fructibus alphabetica tabula indigeat; multis interea honestis et virtuosis sacerdotibus in clericali ordinis opprobrium ostiatim mendicantibus. Cujus rei enormitas hoc etiam loco admonet ut quæ sub commendæ titulo conceduntur beneficia, nequaquam in futurum concedantur, nisi quatenus juri dispositioni accesserint de jam concessis etiam aliquid cogitantes. Et quoniam prædictis erroribus omni studio obviandum est, quum in ultimo Lateranensi concilio contra pluralitatem beneficiorum decretum sit, expediret constitutionem restituere, eamque inviolabiliter observari facere.

Esset præterea, quod jam inolevit, compositionis turpissimus quæstus omnino rejiciendus. Nam si quæ gratis accipiuntur, gratis quoque dare ab ipso vitæ Magistro præcipitur; quæ, bone Deus, tanta est vel impudentia vel habendi sitis, ut pretio indicto ea redimenda proponamus? Quomodo namque ea fuerit gratia, quæ non nisi auro exoratur, nulla etiam personæ vel petitionis habita ratione, ex quo illud apertissime consequitur, ut nisi auro interprete non audiantur? Cui quidem negotiationi compositionis nomen dedere, moderatione nomenclaturæ rem turpissimam et a sacris canonibus detestatam significantes.

Quis enim, quæ spiritus sunt, et in animarum nostrarum expiationem excogitata, maximo stomacho ad cauponariam tracta esse non indignetur? Quæ res, non injuria, adversus romanam Ecclesiam apud principes maximam conflavit invidiam; hæreticis quoque ansam egregiam præbuit de romanis pontificibus obloquendi, nec non ad impugnanda ecclesiastica instituta et ceremonias atque sacramenta nebulonibus quibusdam argumentum.

Quapropter ad hujusmodi labem prorsus tollendam opportunum valde esset datarii facultates consultius moderari, nec ullo pacto ferre, ut quas antidotas appellat, concedant; quarum inventio et permissio illud extat nobile inventum, ut jus quæsitum nullo auxilio defendendum eripiat. Sicut et illud quoque absurdissimum et injurium sibi permittitur, quod sub quacumque die ac hora possit gratiam libellis dare in apertissimam fraudem impetrantium, qui maximus dispendiis et laboribus ad urbem veniunt, vel procuratores suos mittunt, ut postmodum datarii arbitrio vel unico calami tractu tantam patiantur jacturam. Quæ res profecto acerbissima est, et maximam sapit crudelitatem; adeo ut mitius agi cum feris judicem, quam cum hujusmodi monstris, quæ et a pauperibus et a pinguioribus avide adeo exsugunt sanguinem.

Beneficia quoque reservare nec necessarium, nec absolute honestum putaverim. Itaque reservationes mentales seu pectorales, et quas in nullius favorem fieri dicunt, nullo modo concedendas censeo. Et præsertim cum magna non subest ratio aut causa, et cum insignibus personis et de Ecclesia bene meritis non concedantur; has vero non nisi raro, et per maturam considerationem. Quæ ubi semel concessæ fuerint, nullatenus revocandæ videntur, nisi ad complementum exierint: quod hanc habet maximam utilitatem, quia litium mæandros illos et anfractus, quorum verticibus plurimum rapiuntur, maxime tollit. Quæ res adeo universam curiam et orbem agitat, ut vix unum aut alterum invenias, cujus beneficia litium et fori incommoda non subierit quod quantum loculos et nervos animumque hominum atterat, nullus est qui nesciat.

Ut vero per summum quæ ad gratiam attinent, considerentur, necessarium fore videtur ut, præter eum qui tempore subsignandis gratis præsidebit, aliquod etiam referendarii deputentur, qui hujusmodi gratiosorum libellorum curam suscipiant, quorum officio id maxime injungatur, ut qui modum vel a jure vel ab honesta consuetudine præscriptum transgrediuntur, ii non expectata signatoris vel pontificis censura rejiciantur. Horum vero numerum præscribere curiosum magis quam necessarium videri poterit; illud tamen utile et opportunum valde censeatur, ut ad minorem quam sunt numerum redigantur. Multi namque confusionem pariunt, rerumque exactam discussionem impediunt: itaque ex omnibus delectum habere oportet, ita ut auctoritate, doctrina et probitate potiores recipiantur.

Et ne in his quæ gratiose Ecclesia indulget, incommodi aliquid suscipiatur ab officialibus, quorum vel hoc maximum est studium ut unde possint pecuniam quovis modo corrodant, necessarium fuerit aliquot deputare harum rerum peritos, qui diligenti examine officiorum institutiones investigent, nec non eorum auctoritates et facultates ab origine ipsa illis concessas, atque per temporum successiones nulla depravatione labefactas. Inveniuntur namque eorum plurima, quæ ipsa pecunia in præsidet et auctores eorum ad illicitas facultates eis concedendas coegerunt. Unde plurima deinceps emanarunt retia ad aurum captandum, nec nisi ad quæstum excogitata, nulla necessitate aut honestate suffulta: quæ omnia æquo libramine maturoque consilio tractata, facillime moderari et antiquari poterunt, illud præ oculis potissimum habentes, ut reipublicæ christianæ commoda particularibus officialium utilitatibus præferamus. Non nihil

etiam juvabit si quæ in ultimo Lateranensi concilio sancita sunt, circa clericalis vitæ honestatem et mores, ab omnibus quidem probata, sed a paucis admodum servata suscipi cogantur, ea ubi esset opus corrigendo et ex uso moderando.

Verum quum hujusmodi officiorum reformatio, quantumvis utilis et necessaria, multos tamen offenderet, et mali haberet, atque officiales præsertim, quibus grave dubio procul esset census sibi imminui eorum quæ propriis pecuniis comparaverint; idcirco ne cuiquam inferatur injuria, atque peritorum medicorum industriam secuti, quo minori incommodo et dolore possumus, ægro consulamus, conveniens esset damnum hoc et jacturam aliquo ingenio reponere, in quo et sanctitas tua laudem et gloriam, reliqui vero satisfactionem maximam capere poterunt. Quod verò in rem esse videri posset, hujusmodi est quod in beneficiorum vacationibus cujuscumque loci, diocesis aut dignitatis et redditus promovendorum exactissima haberetur ratio, nec solummodo hominum sed beneficiorum quoque, ita ut primo habita consideratione loci, si haberentur ejus loci non immeriti homines, eis conferrentur. Et ne beneficiorum incompatibilis numerus redintegretur, promovendo aliquem ad pinguius beneficium vel honestius, efficere ut qui prius obtinebat dimitteret, et ita per gradus et qualitates hominum et secundum merita ad ampliora illos provehere. Illud semper ante oculos habentes, ut si ejus loci, in quo situm est beneficium, vel cives vel incolæ idonei fuerint, ad id non postponantur alienigenis, posita et doctrinæ et sufficientiæ paritate; in quo non tantum uni, sed universæ provinciæ gratificari videbimur. Incivile namque profecto videri posset, ut qui piis eorum oblationibus atque laboribus et impensis suis ecclesias aliquas erexerunt et dotarunt, ad suorum qui cultui divino vacent sustentationem, tam pio proposito fraudentur, ubi penes eos fuerint qui hujusmodi ministerium condigne tractare valeant. Huic itaque ordini inhærentes, illud commodi primum subsequetur, quod quilibet promeritis per occasionem temporum in dignitate et censu auctior factus melius abilit, et in dies majora sine difficultate sperare poterit. Quæ cum sæpius et indesinenter fieri contingat, cum semper et continue per vacationes multæ fiant expeditiones, illud secundo afferet utilitatis, quod officiales redditus suos augebunt, accrescentibus eis expeditionibus, et ita compensari videbuntur damna quotquot ex gratiarum moderatione prius percepisse queri potuerant, citra alienius damnum aut injuriam per summam justitiam et æquitatem, quæ omnia tuo pontificis optimi arbitrio contrahi et remitti poterunt.

Ut autem in universum dicam pro ecclesiasticæ rei dignitatisque conservatione tam in his quæ ad gratiam quam ad justitiam et imperium attinent, illud pro generali regula tenendum est, atque inter omnia maxime necessarium, ut in omnibus et quibuscumque officiis, administrationibus et præfecturis si demum deligantur, qui optimi, industrii, fideles et apti ad id judicantur. Sic enim singulis officiis, administrationibus et præfecturis optime cautum fuerit, dum quisque, quæ suæ fuerint partes et optime et integre impleverit. Quod si neglectum fuerit, atque id tantum actum ut hominum, hoc maximum suboriatur incommodum, ut officialis rem suam agens tantum cæteros omnes perimat et perdat: quod semper evenisse experientia ipsa rerum magistra didicimus, quoties dignitates et administrationes hominibus, non homines dignitatibus administrationibusve dantur.

Et quum ecclesiasticæ quieti multas quandoque præbeat molestias, ejus auctoritatemque imminuat, quæ honesta quidem et laudabilia habere exordia, sed per abusum temporum hominumque arrogantiam intolerabilia facta sunt, hinc est quod cum concessionum, indulgentiarum et concordatorum sive conventionum causa, quæ regibus et principibus christianis

honestissima ratione et pio affectu tam suscipiendi quam concedendi eo nunc demum eventum sit, ut spiritualium rerum et ecclesiarum jura pro majori eorum parte extra pontificis et apostolicæ sedis facultatem sint, ita ut sæculares principes, jam nullo habito respectu vel discrimini cum hominum tum ecclesiarum et beneficiorum, ea pro arbitrio quibuslibet conferant, et ad sequendam eorum voluntatem pontifices compellantur; idcirco pro ecclesiasticæ dignitatis et libertatis tutela, atque in honorem Dei et pontificii ordinis illud maxime necessarium foret, ut quæ laxa nimis manu et oscitanter quodammodo principibus super ejusmodi per alios pontifices concessa fuere, quæve nullam habeant rationabilem necessitatem aut causam, contrahantur et restringantur, quæ in abusum abiire interim corrigentur: quod nullo labore piis quibuscumque principibus suaderi et persuaderi poterit, cum non sit verisimile venerandam eorum matrem Ecclesiam, quæ ipsos in veritate lucis regeneravit, ab eis deonestari et exautorari posse, ac in his præsertim, quæ pleno jure ad ipsam pertinent. Quod eo minus moleste ipsos laturos putandum fuerit, quo apertius et re ipsa intuebuntur quo supra diximus, incolas et eorum locorum cives in quibus beneficia et ecclesiæ sitæ fuerint modo, idonei sint, aliis præferri. Quamquam vel hoc maxime eos ab hujusmodi ecclesiasticarum rerum abusu deterere poterit, quod in animarum suarum damnum et præjudicium id committant. Quæ res quanto majoris est momenti et ad ecclesiasticam libertatem revocandam opportunior, eo majori et maturiori indiget consideratione et examine. Et quia omnis ab extremo ad extremum transitus difficilis est, ideo hæc primum moderanda maxima dexteritate forent, ita tamen ut istud agentes ea antiquandi signum contemplerent. Cujus rei jactura et indignitas tanta talisque profecto est, ut sicis oculis subire nequeant. Id enim vel ex eo natum non obscure intelligimus, quod præteritorum sæculorum avaritia et cæcitas in pontificibus insana adeo fuit, ut momentaneo pene eorum commodo aliquid a principibus consequentes affecti, perpetuam Ecclesiæ sedisque apostolicæ jacturam tantam posthabuerint privilegiis, indultiis et hujusmodi vinculis et laqueis Ecclesiam captivantes, atque deformi naufragio eam subjicientes.

Non minori præterea indignitate ecclesiasticam rem afficiunt, quæ de indulgentiis indecore et per summam imprudentiam passim peccata sunt, eas nullo habito delectu invulgantes, ita ut plurimi etiam vel iniiti querantur ad eas adigi: quod quantum ecclesiasticæ dignitati et auctoritati officiat, quæ scandala hominibus ponat, quantum de rebus nostris male sentiendi ansam porrigat, plus patet quam cujusquam indiget probatione. Quapropter et earum abusus omnino corrigendus fuerit, illud in primis agentes, ut quæ Fratribus minoribus observantibus concessæ sunt, prorsus revocentur: quum illud incommodi primum habent, quod eorum usu ordinaria episcoporum jurisdictio non modo vilescit, sed funditus evertitur; deinde nimia hæc et indiscreta veniæ facultas peccandi licentiam pariens, incentivum quoddam est delinquendi, superioresque ad contemptum non modicum deducit. Idem de facultate confessionalia concedendi existimandum puto: quo maxime privilegio Sancti Spiritus xenodochion insolescit, nec non alia quoque loca, quibus sola luci ratione, nulla prorsus conditione apposita, hujusmodi indulta fuere: quæ postmodum ministrorum nequitia et avaritia ad tantam vilitatem pervenerunt, ut cum in plerisque locis, tum apud Germanos, nullus pene sit quantumvis vili et sordido loco et conditione natus, qui confessionale non habeat, in maximum superiorum suorum contemptum, et omnium scandalum, atque in animarum suarum perniciem et perditionem, de quo expertus aliqua loquor. Hujusmodi vero indulgentiarum revocationis facultatem et necessitatem vel ex hoc magis probans,

quod annus sæcularis utilibus expiationibus rite dicatus jam instat, quo adventata jam receptum est ut omnes hujusmodi facultates et concessionis suspendantur: quo anno elapso, quod super his statuendum penitus sit per multam considerationem cognosci poterit, quibus, quomodo, quantum, quando et quousque indulgere conveniat discutientes, prout sanctitatis tuæ prudentiæ et benignitati visum fuerit.

In postremis autem Ecclesiæ et summi pontificis curis basilicæ apostolorum Principis restauratio reponenda non fuerit, cujus ædis vastitas et neglecta ruina maximæ impietatis et ingratiitudinis arguere nos potest erga eum, qui vera fuit fidei petra, rerumque nostrarum amplissimum columnam et fundamentum. Quapropter ad id omnibus viribus quisque pontifex eniti debet, ut quo potes citius et honestius hujus templi structura perficiatur, quod nullo pacto vel difficile vel arduum videri debet. Nec enim deerunt tanta pietati ad cogendam pecuniam honestissimi modi: atque inter cæteros is maxime promptus et expeditus esse videtur, ut per apostolicæ sedis nuncios ad hoc ipsum emissos singuli rogentur principes, ut quotannis pro pietate sua rerumque affluentia et dignitate certam huic fabricæ offerant pecuniarum portionem, per eorum ministros sive oratores, in hunc usum erogandam, ita ut unicuique pro portione sua liceat cum architecto seu ædificii præside rationem ponere, manifesteque cognoscere num in alios assumpta sit usus. Sanctitas quoque tua, sacrumque Collegium eandem sequuti rationem, vel potius eorum exemplo cæteros commoventes, in annos singulos et ipsi juxta eorum census mature cognoscendos se dignam oblationem faciant, omnibus ingeniis cavendo ne hujusmodi pecuniæ alio convertantur. Id quod magnificè et splendide, nec minus pie ab omnibus factum fuerit, unde et merito venientia tempora, et nepotes cunctos celebrabunt. Cui si, quod speramus, Pater Beatissime, animam adjeceris, illud dubio procul futurum fuerit, ut in hac domini specula, qua positus es, inter homines adhuc agens utramque Hierosolymam etiam sudore tuo exadificatam conspicias, dum compositis moribus vitæque norma tradita, in hominum mentibus celestem, in terra vero æquata celo machina, maximis sumptibus et laboribus, in angustissima forma terrestrem intueberis; quæ cum perfectis, merito felicitatem tuam omnes prædicabunt.

Huic alia se intet ut difficilior, ita gloriosior cura, nec ullo pacto dissimulanda vel prætereunda, quæ maxime te, Pater Sancte, postulat, universamque Ecclesiam. Nam cum annis jam super centum florentissimum illud Bohemiæ regnum ab Ecclesiæ matris sinu miserum aberret, quod non absque totius Ecclesiæ omniumque principum christianorum ignominia et nota recenseri potest, necessarium est ut pereuntibus fratribus et sociis, maximaque gregis olim Domini parte etiam per sanguinem nostrum opem feramus, nequando cum rege nostro rationem ponentes, fraudem ei fecisse videamur, cum illud propheticum minime impleverimus per quod dicitur: *Quia quos dedisti mihi, non perdidisti ex eis quemquam*. Nam quos olim catholica Ecclesiæ luce Christus regeneravit, quomodo in umbra mortis perire permittere possumus, cum a principibus et populis vere christianis circumsedeantur? magno etiam eorum dedecore et periculo: quæ res non eas forte patitur difficultates, quas inanis opinio sibi fingit. Nam in celeberrimo illo apud Viennam conventu, in quo ser. imperator Maximilianus et Pannoniarum rex, ejusque filius ad præsens Pannoniarum et Bohemiæ rex, nec non Polonum rex, atque omnes fere Germaniæ illorumque regnorum principes, unâ cum duobus reverendissimis cardinalibus Strigonsiensi et Curoensi olim, nunc Salzpurgensi, nec non omnium fere principum christianorum oratoribus interfuertur (mens. jul. 1515), dum illic nuncios apostolicæ sedis agerem, memini me plurimos ibidem illius regni proceres et nobiles viros vidisse,

atque ab eis his auribus audisse, se iniquo admodum animo hujusmodi ab Ecclesia alienationem suam ferre. Cujus rei etiam apud me, qui apostolicam hanc sedem referebam, miserabiles querelas deposuerunt, illud quodammodo querentes, quod sanabile alioquin illud eorum vulnus negligeretur, nullis interim auxiliis adhibitis: quod quia multo affectu ab ipsis exprimebatur, non absque magno dolore intelligi poterat. Intuebar enim eos suavitate matris Ecclesiæ afflicti, desiderioque ad ejus gremium redeundi: quæ si vera sunt, ut ego sensuum meorum testimonio vera assero, quis pudor est aut quæ negligentia, ne dicam impietas, opem quodammodo poscentibus non ferre, eisque suppetias non ire, cum necdum de ipsis clamatum est, et ad sanum ulcera coire possint? Huc vires, huc animum, huc opes, huc dignitatem et auctoritatem tuam convertite, qui triplici redimitus diademate Christum refers, qui vere ejus episcopus et speculator esse cupis; atque ab ea, in qua positus es, specula, abeuntes retine, errantes dirige, lapsos erige, ægros cura et pereuntes serva. Hæc tua sit laurea, Thracibus devictis potior, deliciis omnibus suavior, auro gemmis vitæque ipsa charior. Nam quid Turcha nos timeat, quid stulte ei tot sæculis minamur ut devictus veram pietatem agnoscat, si qui dudum nobiscum versati sunt et propemodum nati, a nobis abstrahuntur, et interim negliguntur? Sit satis superque huc usque nostræ indulgentiæ negligentia. Numquid et ultra torpebimus, et egregia corporis nostri membra in interitum dabimus, ut serpente tabe, pestis cetera conficiat? Nullam jam patiuntur tempora ampliorem moram, jamque eo redacti sumus, ut non pietate, honestate, aut charitate, sed necessitate ducti id agamus. Interpellat et provocat atque instat potentissimus itemque acerbissimus hostis, qui nuper Pannoniæ fines intravit: Belgradum oppidum munitissimum, et per quod in universam regionem facilis patet excursus, magna vi, multaque strage in ditionem redegit, sic ut sit ejus arbitrii in christianissimum regem impetum facere; quod adeo majori subjacet discrimini, quo ejus rex necdum per ætatem verum regis munus implere potest. Pueriles namque annos non excedit, proceresque regni et principes, una cum ecclesiasticis hominibus multiplicibus laborant seditionibus; ita ut res ipsa in apertissimo sit descrimine, præsentissimumque postulet auxilium, de quo vel ab hoc Ecclesiam sollicitam esse oportet, quod, ut audio, rex ipse ex testamento patris sub pontificis tutela positus est.

Occurrendum igitur est tanto periculo, nec inepte quidem, primum hoc si prohibetur modo, ut eo mitatur legatus, vir doctrina et prudentia insignis, nec non rerum gerendarum peritus; unaque theologi aliquot et concionatores, qui per regem de tuto accessu cauti, ad principales ejus loci urbes emissi, assidue concionantes, ad veram pietatem eos trahant, quod ex his quæ tunc, dum ibi agerem, intellexi, audivi et vidi, non difficile putarem. Interim et per idem tempus procuranda esset sincera ecclesiasticorum et principum secularium redintegratio, in hoc maxime signum rem omnem dirigendo, ut in gratiam redeuntes, unitis animis et viribus in Turcam essent fortiores; ad ejus impetus saltem retundendos et arcendos, cui utinam in tempore aliquem obicem opponere valeamus! Esset autem ad hujus rei perfectionem summopere utile et necessarium, ut mutua esset intelligentia inter Poloniæ regem et magnum magistrum ordinis Teutonicorum ante pace aut induciis inter ipsos pactis, ad hoc ipsum conversi et considerantes, ut per quamlibet occasionem eorum alterius, aut utrorumque viribus et armis liberò possemus uti adversus hostem, in eventum quod contra eum indiceretur bellum a Christianis vel pro eorundem tutela ita expediret. Ad quod maxima esset ipsius Poloniæ regis opera, tum ob ejus singularem virtutem et potentiam, tum ob id quod Pannoniæ regi patruus existit. Quibus rebus vel in ordinem compositis, Moscovitarum finitimumque populorum ratio